



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Bvlla Convocationis Concilii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO
CHRISTI
1414

Missa de Spiritu sancto per reuerendissimum in Christo patrem dominum Iordanum episcopum Albanensem, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalem, de Vrfinis vulgariter nuncupatum, cantatisque litanis, & aliis deuotis orationibus pie porrectis ad Deum, idem dominus noster papa inchoans, *Veritatem diligite*, Zachariæ 8. cap. & adducens Zach. 8. auctoritates noui & veteris testamenti, allocutus est Synodum, exhortans omnes ad meditandum, & solerter insistendum super ordinandis his quæ ad ecclesiæ pacem & statum pertinent. Quo sermone perlecto, reuerendissimus in Christo pater dominus Franciscus, sanctorum Cosmæ & Damiani diaconus cardinalis, Florentinus vulgariter nuncupatus, stans in thalamo eminenti, vbi dictus dominus noster sedebat, alta & intelligibili voce legit schedulam sequentem, videlicet:

Ioannes episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Intendentes ad executionem eorum quæ per felicis recordationis Alexandrum papam V. prædecessorem nostrum in Pisano Concilio decreta fuerunt circa conuocationem Concilii generalis iterum faciendam, dum alias præsens Concilium conuocauimus per literas nostras, quarum tenorem hic duximus inferendum.

B V L L A
CONVOCATIONIS CONCILII.

Ioannes episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam.

AD pacem & exaltationem ecclesiæ, & tranquillitatem Christiani populi prompto corde & efficaci desiderio intendentes, ea libenter ordinamus & quærimus, per quæ huiusmodi pax & exaltatio tranquillitatis merito valeat promereri. Dudum siquidem felicis recordationis Alexander papa V. antecessor noster, in sacro generali Pisano Concilio tunc præsidens, ex quibusdam magnis & arduis causis eundem mouentibus, ipso approbante Concilio, inter cetera decreuit, iterum generale Concilium extunc ad terminum per se vel successorem suum, in lo-

H h iij

co de quo sibi vel eidem successori videretur, fore solenniter conuocandum. Idemque prædecessor ea quæ circa reformationem ecclesiæ expedienda restabant, pro tunc suspendit, ipsumque Concilium vsque ad tempus triennii præfatum continuandum statuit, & prorogauit. Postmodum vero ipso Alexandro prædecessore nostro (sicut Deo placuit) vita functo, nobisque diuina fauente clementia ad apicem summi apostolatus assumptis, dum tempus triennii eiusdem iam aduenerat, & nos per vestigia eiusdem prædecessoris incedere, & ordinationem præfatum ab eo in Concilio (vt præfertur) factam puro corde & recta voluntate adimplere properarem, quibusdam rationibus tunc expressis animum nostrum mouentibus, Concilium huiusmodi in Romana vrbe (quæ paulo ante de manibus hostium recuperata, præsentiam nostram pro ipsius conseruatione plurimum flagitabat) debito tempore conuocauimus. Verum quia veniente postea tempore constituto, prælati & ceteri qui huiusmodi Concilio interesse debebant, nequaquam in tanto numero conuenerunt, quantum rerum agendarum pondus & magnitudo requirere videbatur: nos post alias prorogationes per nos factas, tandem Concilium ipsum ad mensẽ * Decembris nunc præsentem solenniter prorogauimus, ac celebrandum statuimus. Locum autem infra certum tempus reliquimus declarandum, vt interim super eo maturius consuleremus. Post hæc vero, infra dictum tempus nondum elapsum, per literas carissimi in Christo filii nostri Sigismundi, electi in regem Romanorum, & Hungariæ regis illustris, instantissime requisiti, vt non properarem in declaratione huiusmodi loci pro Concilio faciendo, sed tam in declaratione loci prædicti, quam etiam in tempore dicti Concilii celebrandi superfedere vellemus, donec ipse nuntios suos super hoc instructos ad nostram præsentiam destinaret: nos votis eiusdem regis, quæ ex zelo deuotionis, & puritate fidei emanare conspiciebamus, annuentes, aduentum præfatorum nuntiorum de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, & prælatorum, qui Romæ in generali consistorio ad hoc vocati fuerunt, voluntate, consilio & assensu duximus expectandum. Deinde cum post Romanæ vrbis miserabi-

ANNO
CHRISTI
1414.* f. No.
uendit

ANNO
CHRISTI
1414.*Chryfo-
lorum

lem casum ad nos tunc apud Florentiam existentes eiusdem regis nuntii accessissent, & ex parte eiusdem regis multa nobis circa materiam suggessissent, eorum auditis relatibus, pro pleniori expeditione dilectos filios nostros Antonium tituli sanctæ Cæciliæ presbyterum, & Franciscum tituli sanctorum Cosmæ & Damiani diaconum, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, cum plena potestate super huiusmodi electione loci & deputatione temporis, ac simul cum eis dilectum filium nostrum nobilem virum Manuelem * Chissolarensem militem Constantinopolitanum, ad præsentiam eiusdem regis transmisiimus: qui ad eum venientes, tandem de ipsius regis consilio & assensu ciuitatem Constantiensem prouinciæ Moguntinensis pro loco huiusmodi Concilii celebrandi concorditer elegerunt, ac tempus ad initiandum huiusmodi Concilium statuerunt diem primum mensis Nouembris proxime venturi. Deinde vero nos, qui pro quibusdam arduis & magnis negotiis cum eodem rege iuxta nostrum & ipsius desiderium personaliter conuenientes, certificati ab eo de habilitate, capacitate & securitate ciuitatis Constantiæ antedictæ, quam securitatem ipse rex se præstiturum, & in ipso Concilio personaliter affuturum pollicetur, volentes, & ab intimis cupientes, vt præfata celebratio Concilii salubriter impleatur, & optatum consequatur effectum, huiusmodi electionem loci & temporis (vt præfertur) factam, auctoritate apostolica tenore præsentium, de eorumdem fratrum nostrorum consilio & assensu ratificamus, approbamus & confirmamus, ac ei apostolici roboris adiciamus firmitatem, præfatumque Concilium in ciuitate prædicta Constantiensi die prima mensis Nouembris proxime venturi initiandum, & auctore Domino exinde celebrandum, eadem auctoritate & consensu harum serie statuimus, pronuntiamus & decernimus, venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos, episcopos & dilectos filios, electos abbates, & ceteros ecclesiarum & monasteriorum prælatos requirentes, hortantes, & moventes, ac in virtute præstiti iuramenti & sanctæ obedientiæ eiusdem mandantes, quatenus personaliter: nec non carissimos in Christo reges & nobiles viros, duces, principes, marchiones, & alios qui huiusmodi Concilio interes-

se debent, vel qui prodesse possunt quoquo modo, per viscera caritatis Domini nostri Iesu Christi inuitantes & exhortantes, quatenus pro pace ecclesie, & omnium Christianorum, etiam personaliter; vel si personaliter non possint, per solennes oratores congruo tempore Concilio dicto debeant interesse: vt sic congregata fidelium multitudine copiosa, ea quæ in eodem Concilio agenda incumbunt, Deo auctore & adiutore salubriter ordinentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ratificationis, approbationis, confirmationis, pronuntiationis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Laude quinto Idus Decembris, pontificatus nostri anno quarto.

*Qua lectione per præfatum magistrum * Iob completa, idem dominus Franciscus cardinalis surgens & stans supra, schedulam ipsam primam resumens, legit eius residuum, cuius residui tenor talis est.*

Et subinde cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesie cardinalibus & nostra curia ad hanc ciuitatem Constantiensem venimus tempore constituto: & nunc per Dei gratiam hic existentes, cum huius sacre Synodi consilio intendimus insistere ad pacem, exaltationem & reformationem ecclesie & tranquillitatem populi Christiani: & quia in hac re tam ardua non est propriis viribus aliquid præsumendum, sed Dei adiutorio confidendum, ideo a cultu diuino inchoantes, hoc sacro approbante Concilio ordinauimus, quod hac ipsa die specialis Missa ad hoc constituta diceretur, sicuti per Dei gratiam nunc celebrata est: quam Missam etiam statuimus, & in hac, & singulis aliis ecclesiis collegiatis secularibus & regularibus huius ciuitatis, semel in hebdomada, videlicet feria quinta, hoc sacro Concilio durante, collegialiter celebrari. Et vt eo feruentius huic sacre celebrationi fideles insistant, quo ampliori gratiæ munere senserint se refectos, omnibus & singulis vere pœnitentibus & confessis, videlicet sacerdotibus dictas Missas celebrantibus, pro singulis Missis vnum annum, interessentibus vero quadraginta dies de iniunctis * eis pœnitentiis in Domino relaxamus.

Ad

ANNO
CHRISTI
1414.

Ad cuius etiam Missæ celebrationem exhortamur venerabiles fratres nostros sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, nec non patriarchas, archiepiscopos, episcopos & dilectos filios electos abbates, ceterosque in sacerdotio constitutos, vt & ipsi ad impetrandum prædictum diuinum auxilium cum deuotione singulis septimanis prædictam Missam celebrent semel: quibus celebrantibus, & celebrationi interessentibus, similes indulgentias elargimur. Exhortamur etiam in Domino omnes & singulos qui Christi nomine gloriantur, vt ad obtinendam optatam consummationem tantæ rei diligenter insistant orationibus, ieiuniis, elemosynis, & aliis piis operibus, vt Deus ex nostra & ipsorum humiliatione placatus, dignetur felicem exitum huic sacre congregationi concedere.

Præterea considerantes, quod præcipuum agendum in Concilio generali, secundum laudabiles consuetudines antiquorum Conciliorum, esse debet de his quæ concernunt catholicam fidem: & attendentes, quod talia propter * summam arduitate exigant diligentiam, tempus sufficiens & studium, exhortamur omnes habentes peritiam sacrarum literarum, vt diligenter secum & cum aliis illa cogitent atque tractent, quæ eis videbuntur ad hanc rem vtilia & opportuna, & quamprimum commode poterunt, illa ad nostram & huius sacre Synodi notitiam perducant, vt tempore opportuno possint ea determinari, quæ videbuntur tenenda vel repudianda pro vtilitate & incremento ipsius catholicæ fidei: & specialiter cogitent circa nonnullos errores, qui a certis temporibus dicuntur in nonnullis partibus pullulasse, & maxime circa illos qui ortum dicuntur habuisse a quodam Ioanne dicto Vuicleff. Insuper etiam exhortamur omnes catholicos hic congregatos, & alios ad hanc sacram Synodum venturos, vt velint cogitare diligenter & profequi, & ad nos, & ad eandem sacram Synodum perducere ea, per quæ possit ecclesia & congregatio catholicorum ad debitam reformationem & optatam tranquillitatem, Deo iuuante, perducì. Nostræ namque intentionis ac voluntatis est, vt omnes hac de causa hic congregati cum omnimoda libertate possint dicere, consulere & facere omnia & singula, quæ ad præmissa putauerint pertinere.

Concil. Tom. 29.

Ii

Ut autem notus sit modus, qui in huius sacræ Synodi processu seruandus est, tam quo ad ea quæ dicenda & determinanda erunt, quam etiam quo ad consensum & gestum & morem & compositionem, putamus in hoc recurrendum esse ad obseruantias antiquorum patrum, quæ maxime colliguntur ex Canone Toletani Concilii, cuius tenorem duximus hic inferendum.

Tolet. Con-
cil. XI. c. 1.

Iacob. 1.

Isai. 32.

Præter. 22.

In loco benedictionis confidentes domini sacerdotes, nullis debent aut indiscretis vocibus perstrepere, aut quibullibet tumultibus perturbari, nullis etiam fabulis vanis vel risibus agi, & (quod est deterius) obstinatis disceptationibus tumultuosas voces effundere. *Si quis enim* (vt apostolus ait) *putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* Cultum enim suum iustitia perdit, quando silentium iudicii obstrepentium turba confundit, dicente propheta: *Erit cultus iustitiæ, silentium.* Debet ergo, quidquid aut consultationibus confidentium agitur, aut a causantium parte proponitur, sic mitissima verborum relatione proferri, vt nec contentiosus vocibus audientiam turbent, nec iudicum vigorem de tumultu eneruent. Quicumque ergo in conuentu Concilii hæc quæ præmissa sunt, violanda crediderit, & contra hæc interdicta, aut tumultu, aut contumeliis, vel risibus Concilium conturbauerit, iuxta diuinæ legis edictum, quo præcipitur: *Eiice derisorem, & exhibit cum eo iurgium*: cum omni dedecore de * confessione abstractus, a communi cœtu secedat, & trium dierum excommunicationis sententiam perferat. Et quoniam communiter contingere potest, quod aliqui ex confidentibus non erunt in sedilibus debitis collocati, eodem sacro approbante Concilio decernimus, quod ex sessione huiusmodi nulli ecclesiæ vel personæ præiudicium generetur.

* f. con-
fessionis

Deputantur hic ministri
& officiales Con-
cilii.

*Articulus approbationis scri-
pturarum protonotariorum per
quatuor nationes deputato-
rum.*

Quia vero ad profes-
sionem huius Concilii re-
quiruntur certi ministri &
officiales, ideo hoc sacro

*Item constituit, deputat &
ordinat dicta sancta Synodus
pro qualibet natione vnum pro-
tonotarium, videlicet pro natio-*

ANNO
CHRISTI
1414.
*Acrogo-
num
*Iuena-
tio
*Polcon
*Ternu-
bio
*Trilhya
*corre-
ctorem,
*Cam-
plo
*Stullio-
nibus
*Balio-
nibus

approbante Concilio depu-
tamus infra scriptos, videli-
cet dilectos filios * Aragonū
de Malispinis (loco cuius,
quia promotus fuit postea
ad ecclesiam Efinam, per na-
tionem Italicam fuit electus
& appositus dominus Iaco-
bus Rhodini de Ianua) Pau-
lum * de Iuuenaco, Herman-
num de Duuerck , Tho-
mam * Polten , & Ioannem
de * Trembleyo , notarios
nostros, qui videndi omnes
scripturas quæ in eodem
Concilio fient , curam ha-
beant specialem , ita quod
concorditer & ordinate fi-
ant, sicut decens est : & om-
nibus ordinatis in præfato
Concilio se subscribant. Nec
non dilectos filios magistros
Antonium de Iuschis, An-
gelum de Reate, Iob de Ge-
stis , & Petrum de * Irilia,
præfati Concilii notarios &
scribas, qui subalternent no-
tariis suprascriptis. Dilectum
filium nobilem virum Ber-
tholdū de Vrsinis, comitem
Suauonensem & Palatinum,
ipsius Concilii custodem: di-
lectos filios magistros, Ioan-
nem Basiræ literarum apo-
stolicarum * scriptorem, Ia-
cobum de * Campis, causa-
rum palatii nostri audito-
rem, Angelum de * Stullio-
nibus causarum apostolicæ
cameræ auditorem , & Pe-

ne Gallicana Joannem de Tram-
bleyo , pro natione Italica Ia-
cobum Rhodini de Ianua , pro
natione Germanica Herman-
num Duergb , pro natione An-
glicana Thomam Polcon. Item
notarios nationum , videlicet
pro natione Gallicana Michae-
lem de Blosonis , & Ioannem
Guiardi : pro natione Italica
Bartholomæum de Guastis , &
Ioannem Azel : pro natione
Germanica Gumpertum Fabri,
& Cifelerum Bouencen : & pro
natione Anglicana Vuilhel-
mum Porcel. Quibus dat au-
thoritatem & plenariam pote-
statem omnia & singula in præ-
senti sacro Constantiensi Concilio
dicta, acta, actitata, promul-
gata, publicata, lecta, petita,
& omnia alia quæcumque ge-
sta, facta ; & omnia quæcum-
que in posterum dicenda, agen-
da, iactitanda, promulganda,
publicanda, legenda, petenda ;
& quæcumque alia in & pro
dicto sacro Concilio, & ad di-
ctum sacrum Concilium quomo-
dolibet pertinentia, & facien-
da, & peragenda, in formam
publicam redigendi, & alias
conscribendi. Approbatque di-
cta sancta Synodus omnia &
singula per ipsos protonotarios
& notarios in dicto sacro Con-
cilio, & ad ipsum Concilium
quomodolibet pertinentia, con-
scripta, & tam in publicam
formam, quam alias in scriptis,

trum Pauli de Iustinopoli canonium Rauennaten-
sem, decretorum docto-
res, scrutatores votorum,
quorum duo ex vna, alii
vero ex altera præfati Con-
cilii parte vota scrutentur: & cum ipsis duo ex eisdem
notariis, ac duo ex scribis suprascriptis in votorum
scrutamine semper debeant interesse. Dilectos filios magi-
stros, Petrum de Anchorano vtriusque iuris, Simonem
de Perusio iuris ciuilibus, Raphaelem de Fulgosiis vtriusque
iuris, & Ardecinum de Nouaria iuris ciuilibus, doctores,
præfati Concilii aduocatos; nec non dilectos filios magi-
stros, Ioannem de Scribanis & Henricum de Piro, dicti
Concilii procuratores & promotores; magistrum * Gare-
teum de Pistorio, Ioannem * Ponseti, Bartholomæum de
* Paudo, & Michaelem Bolosonis, ordinatores federe de-
bentium in Concilio suprascripto.

*Item eodem sacro approbante Concilio decernimus sequentem
sessionem, Deo fauente, tenendam die Lunæ decima septima men-
sis Decembris proxime futuri.*

Lectis itaque scheda & bulla prædictis, præfatus do-
minus cardinalis alta & intelligibili voce interrogans, sci-
scitatus est, vtrum omnia & singula in suprascripta scheda
contenta ipsi sacre Synodo placerent. Ad cuius interro-
gationem omnes & singuli prælati in ipsa Synodo existen-
tes concorditer, nemine discrepante, responderunt, Pla-
cet. De & super quibus omnibus & singulis magister Ioan-
nes de Scribanis fieri petiit per protonotarios ad hoc per
Concilium deputatos, de quibus in præmissa scheda fit
mentio, publicum instrumentum, & publica instrumen-
ta ad perpetuam rei memoriam.

*Die prima mensis Martii, anno 1415. a natiuitate, &c. in ma-
gna aula palatii inferioris apostolici, undecima hora post mediam
noctem, domino nostro Joanne papa XXIII. ibidem existente
& præfente, ac Romanorum rege imperatore serenissimo, & qua-
tuor congregatis nationibus inibi, fuit per dominum patriarcham
Antiochenum nomine & ex parte totius Concilii præsentata præ-
fato domino nostro papæ quædam scheda: sibi que nomine di-
cti Concilii fuit humiliter supplicatum per eundem patriarcham,*

ANNO
CHRISTII
1414.*scruta-
tione*Gare-
teum
*Bartho-
lomæum
*Paudo

ANNO
CHRISTI
1414.

quatenus dignaretur dictam schedulam benigne acceptare. Et dictus dominus noster papa, recepta schedula, & ea secrete lecta, dixit quod fuit semper intentionis, dare pacem ecclesie, & quod ad hoc venerat Constantiam. Et etiam dixit, qualiter dicto Concilio, non vi nec metu compulsus, non coactus, sed liberaliter & sponte obtulerat viam cessionis sui papatus, & obtulit, & quod nunquam fuit alterius intentionis. Demum dictus dominus noster dictam schedulam legit, cuius tenor talis est: Ego Ioannes papa XXIII. &c. ut in bulla continetur. Qua lecta, fuit regratiatum dicto domino nostro papae per serenissimum principem regem Romanorum de bona & sancta oblatione: deinde cardinales ad idem fuerunt regratiati. Demum dominus patriarcha ad idem, & etiam uniuersitas Parisiensis ad idem. Quo facto, dominus noster voluit, quod in crastinum, quae fuit secunda Martii, teneretur sessio, in qua publicarentur haec sollemnus per eundem.

SESSIO II.

Quando dominus noster papa obtulit cessionem
sui papatus.

ANNO
CHRISTI
1415.

ANNO a natiuitate Domini 1415. indictione 8. pontificatus quo supra, die vero Martii secunda mensis Martii fuit celebrata sessio, in qua dominus noster celebravit Missam in ecclesia maiori de Spiritu sancto. Qua celebrata, fuerunt lectae sollemnitates, quae consueuerunt fieri in sessionibus. Demum dominus noster sedens in cathedra ante altare, conuersus ad Concilium ibidem congregatum, legit schedulam tenoris sequentis per dominum Vitalem patriarcham Antiochenum nomine Concilii traditam, alta voce sic incipiendo:

Ego Ioannes papa XXIII. propter quietem totius populi Christiani profiteor, spondeo, promitto, voueo & iuro Deo & ecclesiae, & huic sacro Concilio, sponte & libere dare pacem ipsi ecclesiae per viam meam simplicis cessionis papatus, & eam facere & adimplere cum effectu iuxta deliberationem praesentis Concilii, si, & quando Petrus de Luna, Benedictus XIII. & Angelus de Corario, Gregorius XII. in suis obedientiis nuncupati, papatui quem praetendunt, per se vel procuratores suos legitimos simpliciter cedant, & etiam in quocumque casu cessionis vel decessus, aut alio in quo per meam cessionem poterit dari